



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus**

**Lessius, Leonardus**

**Antverpiæ, 1632**

5 Quinam Clerici sint exempti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)



Principes tenentur eam facere, & factam ratam habere, vt ostensum est.

<sup>36</sup> His adde, etiam si Principes noluisse in hanc exemptionem consentire, Summi tamen Pontifices & Concilia œcumenica habebant auctoritatem eam inducendi; vt communiter docent Doctores, & probat Couarruias in pract. c. 31. n. 3. & 4. ratio est, quia habent potestatem à Christo, statuendi id, quod ad bonum spirituale Ecclesiæ & Dei honorem videtur necessarium, aut valdè expediens: atqui exemptio Clericorum à Iurisdictione sæcularium, est necessaria ad bonum spirituale Ecclesiæ & Dei honorem: ergo. Minor pater tum ex causis supra allatis; tum quia valdè vilesceret status Ecclesiasticus, & res diuinæ quas tractant, si instar laicorum ad Iudices sæculares traherentur: tum quia valdè distraherentur à rebus diuinis; nam facile à laicis possent vexari: tum quia periret libertas illa sacerdotalis, qua in laicis instruendis & corripiendis vti debent: tum denique, quia laici facile etiam causas Ecclesiasticas ad se pertraherent. Accedit quòd Principes sint subditi Pontifici sicut oues pastori: atqui Superior potest aliquem eximere à iurisdictione sui subditi, præsertim quando recta gubernatio & honor Dei id postulat. Quòd si Pontifex potuit Clericos eximere à iurisdictione sæcularium Principum; consequens est vt etiam potuerit eximere à tributis; quia tributa ob iurisdictionem penduntur; vt constat ex Apostolo ad Rom. 13. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed propter conscientiam: ideo enim & tributa præstatis.*

DUBITATIO V.

Quinam Clerici sint exempti.

<sup>37</sup> *Sacris ministri, Beneficij, Religiosi.* Respondeo Primò, Omnes Clericos sacrorum ordinum, & beneficiarios & Religiosos & Religiosas exemptos esse; idque præcipuo quodam Iure est communis sententia Doctorem, teste Couarrui. in pract. cap. 31. num. 5. nam hi omnes vel firmiter Ecclesiastico statui sunt additi, vel actū Ecclesiæ deseruiunt.

<sup>38</sup> *Clerici minores.* Secundò, Clerici minorum ordinum, & primæ tonsuræ, si non sint coniugati, secundum Canones sunt etiam à tributis liberi; eti neque beneficiarij sint, neque in aliqua Ecclesia deseruiant. colligitur ex cap. finali, de vita & honest. Clericorum. cap. Quamquam, supra, & ex L. Presbyteros, 6 C. de Episcopis & Clericis.

*Qui priuilegio fori fruuntur.* Nec obstat Concilium Trident. sess. 23. c. 6. de reformat. quia loquitur solum de priuilegio fori, quo non possunt ad tribunal sæculare pertrahi: quod priuilegium Concilium non concedit, nisi illis Clericis primæ tonsuræ vel minorum ordinum, qui aut beneficium Ecclesiasticum habent, aut clericalem habitum & tonsuram deferentes, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deseruiunt, aut in Seminario Clericorum, vel in aliqua schola, vel Vniuersitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines, versantur.

*Consuetudo eos subijcit.* Tertio, Longa tamen consuetudine contraria, Clerici primæ tonsuræ & minorum ordinum, qui nec beneficium habent, nec vlli Ecclesiæ deseruiunt, videntur hanc exemptionem amisisse, etiam si coniugati non sint; quia iam à multo tempore vectigal soluunt sicut laici. Ita Couarruias n. 9.

vt in fine ait se vidisse literas regias in hoc decretas, vt Clerici primæ tonsuræ etiam non coniugati, cogantur soluere decimam partem rei venditæ: quod tamen videtur esse contra Ius Pontificium, in cap. Quamquam, de censibus, in Sexto.

Dices, Non potest vquam valere præscriptio aut consuetudo contra immunitatem & libertatem Ecclesiasticam, vt expressè habetur in Nouella Friderici Imperatoris, quæ incipit, Cassa & irrita, & colligitur ex cap. Causam, de præscriptionibus, & cap. Clerici, de Iudicijs: ergo consuetudine non potuit hoc introduci.

Respondeo, Non posse quidem eam valere inuito Pontifice, seu non accedente libero eius consensu; sed præsumi posse hunc consensum propter commoda Principum interuenisse. nam hæc consuetudo non erat omnino à ratione aliena; præsertim ob multitudinem talium Clericorum; quorum plerique idè dumtaxat Clerici fiebant, vt à tributis eximerentur, absque vilo animo ad Ecclesiasticum statum conscendendi.

Quod ad priuilegium fori attinet, talibus Clericis iuxta Canones antiquos & Concilij Tridentini formam competens, si in Seminario vel studijs versentur, non est credibile Ecclesiam consentire aut consensisse vt possint eo per contrariam consuetudinem priuari; quia magis per hoc dignitas status Ecclesiastici laederetur, & Principibus nihil commodi accederet.

Quartò, Clerici coniugati non sunt exempti à vectigalibus, neque Iure Canonico neque consuetudine, vt rectè Couarruias, quia duo tantum priuilegia hæc conceduntur, nempe fori & canonis. vt patet cap. vnico, de Clericis coniugatis in 6. Ad quæ tamen duo requiruntur. Primò, Vt duxerint virginem, & quidem vnicam. Secundò, Vt deferant tonsuram & vestes clericales: quibus addit Concilium Tridentinum, *vt priuilegio fori non gaudeant, nisi ab Episcopo alicuius Ecclesiæ ministerio sint deputati.*

DUBITATIO VI.

Quæ sit legitima causa imponendi vectigalis.

<sup>41</sup> *Causa vectigalis diuina.* Respondeo, Causa iusta duplex est; Prior necessitas publica, cui aliter commodè succurri nequit; vt si necessarium sit ad stipendia militaria, ad reparationes vrbiū, vel aliter ad bonum publicum valdè expediens. huc etiam pertinet status principalis sustentatio; nam & hæc ad bonum publicum pertinet: ratio est, quia sicut Principis est populū regere, ius dicere, hostes arcere, denique tranquillitatem & prosperitatem temporalem totis viribus procurare; ita vicissim populū tenetur sumptus necessarios ad hæc præbere. vnde etiam potest à Principe, si opus sit, ad hoc cogi. Sed quatuor hinc sunt requisitæ conditiones. Prima, Vt constet causam esse iustam; vel si de ea sint diuersæ opiniones, vt habeat probabiles rationes, ob quas possit prudenter statuere se hinc & nunc posse ob talem causam tributum imponere, si tales rationes non habeat, vel certè non consideret sine iustum, quod agit, an non; sed cæco more progrediatur, non potest exigere; quia nescit an ius exigendi habeat. vnde exigendo, iniuriam populū irrogat, & ad restitutionem tenetur, nisi postea

<sup>39</sup> *Præscriptio an contrà valeat.*

<sup>40</sup> *Clerici coniugati.*

<sup>41</sup> *Causa vectigalis diuina. Primò, Necessitas publica.*

<sup>42</sup> *Quatuor conditiones.*